



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum omnis forma accidentalis educatur de potentia subiecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

nam, scilicet, conseruari non posse separatos à rebus quas modificant: non possunt aut eis esse coniuncti, quin eas afficiant formaliter: non possunt ergo acti esse quin acti causent: signum est igitur actualem causalitatem eorum non esse distinctam ab ipsis, sed intrinsece & essentialiter in eorum rationibus includi. In hoc ergo est differentia inter hos modos, & alias proprias formas, in reliquis vero omnibus proportionaliter conueniunt.

Solum potest circa hos modos dubitari, quia ex prædicta assertionem sequitur modum vnius seu inhærentiæ entitatis accidentalis esse formam ex natura rei distinctam à forma inhærente, v. g. ab albedine: hoc autem videtur absurdum; alias quotiescunque forma est res distincta à materia, erit necessarium, ut duæ formæ interueniant & coniungantur, ut effectus formalis possit consurgere. Deinde sequitur generationem esse formam materiæ ex natura rei distinctam à forma, quæ per generationem introducit, & idem erit de alteratione & quavis mutatione, seruata proportione. Responderetur in primis, quamuis hæc omnia concedantur, in re nihil esse absurdum, si vocum æquiuocatio tollatur: nam hæc formæ & sunt diuersarum rationum, & ad diuersos effectus ordinantur: quare nihil est absurdum quod in eadem re multiplicentur, & quod idem modus qui est via ad certum, sit forma imperfecta respectu subiecti, vel quod idem modus informationis, qui est à forma, sit causalitas eius, ut illam vnit, & afficit, sit aliqualis forma eius. Adde verò deinde, ut melius & proprius loquamur, quosdam esse modos, qui in latitudine entis non constituunt suas proprias species, sed reducuntur ad species vel Prædicamenta aliarum rerum vel formarum, quia solum sunt tanquam conditiones requisitæ, vel causalitates earum intrinsecæ & huiusmodi non habent propriam rationem formæ, sed retinent propriam rationem modorum substantialium, & accidentalium. Et hæc ratione neque vnio anime rationalis verbi gratia, dici potest forma, quia nec substantialis, neque accidentalis dici posset. Item neque vnio humanitatis ad Verbum, nec propria substantia verè dici potest forma, ut infra ostendemus. Sic ergo neque inhærentia accidentalis formæ dici potest forma, neque accidens distinctum, si proprie loquamur, sed modus accidentis. Conclusio ergo posita, intelligenda est de prioribus accidentibus: illa enim tantum, proprie & absolute loquendo, accidentia, seu formæ accidentales dicenda sunt. Denique dici potest argumento illo recte ostendi hos modos, in vniuersum loquendo, imperfectam causalitatem formalem participare, habereque alium peculiarem efficiendi modum, ad causam formalem pertinentem.

Extrinsicus adiacentes formæ, aut denominantes, nil causant.

Deo tertio: Accidentia impropria, quæ solum extrinsecus denominant aut adiacent, non exercent veram causalitatem formalem, sed solum secundum quandam proportionem, denominationem eius participant. Probatur inductione, nam actio non est forma agentis, quia non afficit illud, nec dat illi aliquid esse, neque cum illo componit aliquid verè vniū. Idem est de visione, verbi gratia, respectu obiecti, quod visum denominat: quis enim dicat visionem esse formam rei visæ? Idem est de indumento respectu hominis vestiti, & de superficie circumdante ac continente respectu rei contentæ, & de omnibus similibus. Quorum omnium ratio est, quia hæc omnia nullum esse reale conferunt illis rebus quas extrinsecus denominant: ergo non sunt veræ formæ reales, cum forma sit quæ dat esse. Item quia hæc omnia non habent veram & realem vnionem ad res

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

quas denominant: forma autem non causat nisi media vnione: siue sit distincta à forma, siue non: seclusa enim vnione Physica non est compositum verè vniū: vbi autem non est propria compositio ex qua resultet compositum quod sit vniū aliqua Physica vnitate, non potest intercedere vera & Physica causalitas formalis. Tandem causalitas formalis & materialis sunt quasi correlatiuæ, nam sibi inuicem correspondent: sed in his rebus, quæ extrinsecus denominantur ab aliis, non intercedit vera causalitas materialis: neque enim agens dici potest causa materialis actionis, & sic de aliis: ergo neque res sic denominantes extrinsecus, sunt veræ formæ. Cuius etiam signum est, quod Deus denominatur agens vel creator, ab actione vel relatione quæ est in creatura, & tamen nemo dixerit talem actionem comparari ad Deum ut veram formam eius. Seclusa autem ab his rebus causalitate formali vera ac Physica, nihil in eis relinqui potest ob quod vocentur aliquo modo extrinsecæ formæ, nisi proportio aliqua: quæ in hoc consistit, quod huiusmodi res dicunt aliquas habitudines ad alias res quas denominant, in quibus se gerunt ad modum vltimi termini, vel actus, & ideo denominare videntur ad modum formarum. Atque ita explicata manet & confirmata conclusio quoad vtramque partem. Quomodo autem hæc verè dicatur constituere aliqua prædicamenta accidentium, vel aliquas species eorum, declarandum erit infra, cum de singulis rationibus prædicamentalibus differemus: quomodo item in his denominationibus soleant quædam entia rationis fundari, in propria disp. dicemus: & ideo nulla superest circa hoc difficultas hoc loco tractanda.

SECTIO II.

Utrum omnis forma accidentalis educatur de potentia subiecti.



Ex omnibus quæstionibus quas de forma substantiali tractauimus, sola hæc superest circa accidentalem formam quæ peculiarem declarationem requirat: nam si attentè considerentur quæ in superiori sectione dicta sunt, ibi cōprehendimus omnia quæ ad rationem Physicæ formæ spectant, quæ verò pertinent ad rationem formæ Metaphysicæ ex sect. vlt. præcedentis disputationis sumi possunt. Nam in vltima eius parte ostendimus genera, & differentias eadem ratione & proportionem in accidentibus reperiri.

Sensus quæstionis explicatur, certa ab incertis separando.

igitur ut in præsentī dubitatione separemus certa ab incertis, supponenda est trimembris illa diuisio præcedenti sectione proposita de entitate propria formæ accidentalis, de modo accidentali, & de accidente solum extrinsecus denominante. Et de hæc quidem tertio membro nihil dicere oportet, nam certum est hæc omnia prædicata quæ extrinsecus adiacent, non educi de potentia earum rerum quæ ab eis denominantur extrinsecus, cum in illis non sint ut in subiecto, & ab eis vel simpliciter non pendeant, ut indumentum ab homine, & superficies continens à re contenta; vel si pendent, non est in genere causæ materialis, sed vel efficientis, ut actio ab agente: vel obiectiuæ, ut visio ab obiecto. Est igitur aduertendum semper eam rem quæ extrinsecus aliam denominat, esse intrinsecè in aliqua alia re, nā vel est substantia aliqua, & illa est in se, vel est entitas aut modus accidentalis, & sic necesse est esse intrinsecè in aliquo subiecto, à quo sustentetur. Vnde quando de nouo sit quælibet res quæ aliam extrinsecè de-

Denominatio ex-
trinseca non
educitur
de potentia
subiecti.

Hh nomi-

nominat, modus productionis aut educationis eius non est considerandus respectu rei extrinsecus denominata, sed respectu illius rei vel subiecti à quo est denominatio. Vnde si illa res sit substantia, in ea erit productio totius, & educio formæ sicut in aliis substantiis: si autem fuerit forma aut modus accidentalis, erit eadem ratio de his, quæ de cæteris accidentibus.

III.
Varii modi
quibus sunt
accidentales
forma.

Rursus distinguere oportet duplicem modum quo accidentia fieri solent, scilicet aut per se per propriam actionem, aut per resultantiam. Item inter formas accidentales, quædam sunt naturalis ordinis, quædam verò sunt ordinis supernaturalis, ut gratia, lumen gloriæ, & similes. Et eadem distinctio adhiberi potest de modis accidentalibus: nam quidam sunt naturales, ut figura terræ, vel vbi alii sunt supernaturales, ut modus existendi corporis Christi in Eucharistia. Et addere hic possumus tertium membrum, nam quidam modi dicuntur esse non naturales, nec supernaturales, sed artificiales, quod membrum non habet locum in propriis formis seu entitatibus accidentalibus quia nulla est quæ per artem proprie fiat, nisi fortasse vel quatenus ars adiuvat naturam, ut in sanitate, vel quatenus per artem applicantur actiua passivis, ut si aurum fit per artem alchimicæ, & hoc modo sunt alia mista ut liquores, &c. Quæ formæ omnes non sunt artificiales proprie, nisi fortasse per quandam denominationem extrinsecam, intrinsecè enim sunt formæ Physicæ ac naturales, non solum accidentales, interdum etiam substantiales esse possunt, & eiusdem rationis cum iis quæ naturaliter fiunt. Vnde quod applicatio agentium & patientium per artem fiat, nil obstat quominus per veram educationem fiant. Proprie ergo artificiales formæ tantum sunt quidam modi, omnes enim in figura aliqua consistunt: quia virtus effectiua humana quæ arte regi aut dirigi potest, non potest amplius extendi, cuius rationem infra videbimus: figura autem quælibet solum est modus quidam rei quantæ, ut per se constat.

IV.
Accidentia
naturalia,
quæ per
transmuta-
tionem fiunt
ex subiecti
potentia
educuntur.

Ex his ergo omnibus vnum tantum certum, nimirum accidentales formas naturalis ordinis quæ per propriam actionem, propriamque subiecti transmutationem fiunt, educi de potentia subiecti, nam in his manifestè concurrunt omnia, quæ ad educationem de potentia materiæ necessaria esse possunt, quod à fortiori ex dicendis constabit. Alia verò multa dubia sunt & incerta, quæ sigillatim attingemus, & breuiter expediemus.

Dubium de qualitatibus intentiona-
libus.

V.
Sententia
aliquorum.

Primum dubium est, an qualitates quædam, quæ naturales sunt, prout naturale à supernaturali distinguuntur (vocaluntur autem intentionales, & ea ratione à qualitatibus omnino naturalibus & Physicis distinguuntur, ut sunt species intentionales & similes) dubium (inquam) est, an huiusmodi qualitates educantur de potentia subiecti. Aliqui enim hoc negant, ut Soncin. 7. Metaphysicæ, quæstio. 8. quam opinionem sequuntur in 2. sentent. Egid. d. 13. qu. 2. Thomas de Argent. articulo 3. Carthus. quæst. 1. qui hoc extendit ad lumen, quod in aere, vel alio corpore diaphano ab extrinseco producitur: quod etiam docuit Alenf. 7. Metaph. tex. 13. Fundamentum eorum est, quia hæc formæ fiunt in instanti, & sine resistantia & abiectione contrarii, & consequenter sine transmutatione materiæ, & ideo appellantur formæ sine materia: ergo non educuntur de potentia materiæ. Et confirmatur, quia hæc qualitates non solum fiunt in corporibus elementaribus, sed etiam in celestibus. ac verò nulla forma educi potest de potentia cæli, aliàs cælum esset alterabile, & reciperet peregrinas impressiones.

Sed hæc sententia nulla firma ratione nititur: & ideo dicendum est, huiusmodi accidentia omnia educi de potentia subiecti, in quibus recipiuntur. Ita tenet Richard. in 2. d. 13. art. 2. q. 1. & Herxus d. 13. q. 1. articulo 2. & quodlib. 7. q. 20. Et probatur, quia hæc qualitates fiunt ab agentibus naturalibus, ergo non fiunt ex nihilo: ergo fiunt ex præsupposito subiecto cõcurrente per suam naturalem vim in genere causæ materiæ ad esse & fieri talium formarum: ergo verè educuntur de potentia subiecti. Omnes enim aliæ conditiones, quæ ad educationem requiruntur, sunt voluntariè cõfictæ absque vlla ratione. Nam, quod forma accidentalis in instanti fiat, quid impedit educationem? nam etiam substantialis forma in instanti fit: solum ergo inde sequitur dari posse educationem instantaneam & successiuam, sicut & mutationem. Nec refert, quod ad educationem substantialis formæ præcedat successiua alteratio præuiæ, nam, ut supra ostendi, ratio educationis non consistit in habitudine ad præcedentem alterationem, sed in intrinseco modo & causalitate talis actionis. Vnde quoad hoc per accidens est, quod præuia alteratio præcedat propter abiiciendam formam contrariam. Deinde gratis etiam dicitur, esse necessarium ad educationem, quod forma habeat contrarium, cum hoc necessarium non fit ad realem actionem, & mutationem ex præsupposito subiecto, quæ in genere causæ materialis concurrat ad esse & fieri ipsius qualitatis. Et declaratur præterea in lumine, quod contrarium non habet, nã illuminatio talis est actio, ut per eam, non per se primò fiat forma luminis, sed illuminatum: vnde illa est quædam accidentalis generatio, nam ibi concurrunt tria generationis principia, quæ in omnibus Prædicamentis eadem sunt, proportionè seruata, teste Arist. 12. Metaphys. Omnis autem generatio, per quam fit seu comproducit forma, est educio eiusdem formæ, alioqui nulla certa ratio educationis assignari poterit: ergo lumen verè educitur de potentia subiecti, & eadem ratio de aliis qualitatibus intentionalibus.

Tandem, cum dicuntur hæc qualitates fieri in subiecto sine transmutatione subiecti, duobus modis id intelligi potest. primo absolute & simpliciter sine vlla mutatione reali, & hic sensus est falsus: nam cum realiter aliquid recipiant, & de potentia in actum reducantur, necesse est aliquo modo mutari realiter, id est, transire ex carentia alicuius esse ad habendum illud. Alio modo intelligi potest de transmutatione corruptiua, seu amissiuâ alicuius propriæ & connaturalis perfectionis, vel dispositionis: & hoc modo verè dicuntur hæc formæ fieri in subiecto sine transmutatione eius: sed talis transmutatio est impertinens ad educationem: cuius ratio non consistit in abiectione alterius formæ, nisi quando & quantum necessaria est ad inductionem alterius. Si autem possit fieri inductio formæ sine corruptione vel abiectione alterius, non erit necessaria talis transmutatio ad educationem, sed sufficiet mutatio perfectiua. Quod declaratur in hunc modum, nam ibi est vera inductio formæ in subiectum, & non est inductio formæ aduenientis de foris (ut Aristoteles verbis utar) id est, non est mera unio præexistentis formæ: ergo est vera educio formæ, quæ in naturali potentia subiecti continetur, & aliter fieri non poterat.

Atque ex his responsio est ad fundamentum contrariæ sententiæ. Ad confirmationem autem negatur non posse has formas educi de potentia cæli, nam in potentia eius continentur, tam ipsæ, quam mutationes: per quas naturaliter fiunt. Nec cælo quæ repugnat omnis mutatio perfectiua, aut productiua, sed illa tantum, quæ aliquo modo disponit ad corruptionem, seu quæ extrahit rem à connaturali statu sibi debito. Quod si nomen alterationis ad instantaneam & perfectiuam mutationem extendatur,

datur, sic non repugnat cœlū alterari: vſitato tamē more loquendi alteratio non dicitur, niſi ſucceſſiua mutatio, quæ ad vnā qualitatem tendit ex contraria: & hoc modo dicitur cœlum inalterabile: ſi autem ſumpto alterationis nomine, latius patet educationis qualitatis, quam alterationis. Quin potius addo, nō ſolum has qualitates corporales, ſed etiam ſpirituales, quæ per propriam actionem ſunt modo naturales, educi de potentia ſubiecti, in quo, & ex quo ſunt. Sic enim intellectus agens non creat ſpecies intelligibiles, ſed educit eas de potentia intellectus poſſibilis, in cuius naturali potentia continentur, & ab ea pendunt in fieri, & in eſſe; vnde ex ea educuntur in actum per virtutem intellectus agētis. Et eadem ratione actus vitales tam intellectus, quam voluntas, & in hominibus, & in angelis, ſunt per educationem: nam antea continebantur in potentia non tām actiua, ſed etiam receptiua ſuarum potentiārum à quibus naturaliter pendunt in fieri, & in eſſe: hæc autem ſolum ſunt de ratione educationis, vt amplius in ſequenti dubitatione confirmabimus.

Dubium de qualitatibus ſupernaturalibus.

IX. Secundo dubitari poteſt, an formæ etiam ſupernaturales, quæ à Theologis dicuntur per ſe infuſæ, educantur de potentia ſubiecti, in quo ſunt. Quidam abſolutè negant, quia ad has formas non eſt in ſubiecto naturalis potentia: ergo non poſſunt inde educi. Et confirmatur, nam nihil educitur, niſi vnde continetur: anima autem, exempli cauſa, nullo modo continet gratiam in ſua ſubſtantia: ergo non poteſt inde educi. Et eadem ratio eſt de omnibus qualitatibus ſimilibus. Tandem, hæc ratione aliqui Theologi dicunt gratiam, & ſimiles formas creari: alii conſecrari: omnes verò dicunt ſaltem infundi, vt extrinſecus aduenire, non verò educi ſignificant. Sed quāuis verum ſit, productionem harum qualitatum, non eſſe naturalem educationem, vt argumenta facta probant, non tamen cenſeo eſſe extra latitudinem educationis formæ de potētia ſubiecti, ſed potius ſicut qualitas quædam eſt naturalis ordinis, alia ſupernaturalis: vtraque tamen eſt verā qualitas: ita illa educio formæ accidentalis, alia eſt naturalis ordinis, alia ſupernaturalis: vtraque tamen eſt verā educio.

X. Quapropter ſimpliciter dicendum erit, has qualitates fieri per educationem de potentia ſubiecti, atque ita communiter loquuntur Theologi, præſentim recentiores, tractantes de gratia, & de effectione ſacramentorum, vt notaui in 1. & 3. Tom. 3. p. Et probatur omnib⁹ rationibus factis in priori dubitatione, nam omnes conditiones ad educationem requiſitæ, & omnis dependentia, cauſalitas, ac modus effectiōis in his formis reperitur. Solum eſt diſcrimē, quia ad has formas nō concurrir ſubiectum per naturalem potentiam, quam cōditionem dicti authores requirunt in ſubiecto, vt formā dicatur de illius potentia educi: quod tamen non probant: vnde ſolum videtur illa cōditio adiecta ad has formas excludendas, quomodo poteſt vnusquisque aliam cōditionem excogitare & adiungere, vt alias formas excludat; & ita nihil erit firmum, niſi aliqua ratio educationis, ex generali aliqua & firma ratione ſtabilitur. Illa ergo cōditio, quāuis ſit neceſſaria ad educationem naturalem, non verò ad educationem ſimpliciter, ſub qua educio ſupernaturalis continetur, ad quam non requiritur ex parte ſubiecti potentia naturalis receptiua, ſed obediēcialis ſufficit. Cur enim, ſicut datur qualitas naturalis & ſupernaturalis, & intellectio naturalis & ſupernaturalis, & effectio naturalis & ſupernaturalis, ex præſuppoſito ſubiecto, non dabitur etiam educio ſupernaturalis

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

diſtincta à naturali, tam ex parte principii actiui, quā paſſiui, licet in generali modo educationis conueniant? Et declaratur tandem hæc ratio, nam educio formæ immediatè & adequatè condiliſcitur à creatione formæ in his quæ per propriam actionem ſunt: inde namque Philoſophi in cognitionem educationis formæ peruenerunt, quia intellexerunt, formas non fieri per creationem, ergo ſupponunt omnem formam, quæ per propriam actionem fit, & non creatur, educi de potentia ſubiecti. Et quidem merito, nam quod creatur, ſit ex nihilo, id eſt, ex nullo ſubiecto, & abſque concurſu cauſæ materialis; educi autem nihil aliud eſt, quam fieri ex ſubiecto, cum prædicto concurſu & dependentia in fieri & in eſſe.

XI. Sed reſpondere poſſunt, creationem requirere, vt ſit ex nullo ſubiecto, vel ſaltem ex nulla potentia naturalis ſubiecti, non verò eſſe contra rationem creationis, vt ſit productio, aut effectio formæ ex ſubiecto ſecundum potentiam tantum obediēcialem. Sed hoc repugnat rationi creationis, prout ab omnibus Doctōribus concepitur, & exponitur, nimirum quod ſit productio entis ex nihilo: nam forma quæ ſit ex præſuppoſito ſubiecto quacunque ratione, non poteſt verè dici fieri ex nihilo. Vnde Diuus Thomas & omnes colligunt creationem propriam ſemper terminari ad rem ſubſiſtentem, quæ forma inhærens, cum ex ſubiecto pendeat, in fieri & in eſſe, non poteſt terminare creationem. Præterea, actio per quam ſit talis forma (ſiue educatur ex potentia naturali, ſiue obediēciali ſubiecti) non terminatur per ſe primo ad ipſam formam in ſe, ſed ad compositum ſeu informatum tali forma vt ſit: ergo ſicut quod per ſe primo ſit per actionem, quæ ſit calor, non eſt ipſe calor, ſed calidum: calor autem conſtitit, ſeu comproducitur; ita quod per ſe primo ſit per actionem, quæ ſit gratia, non eſt gratia, ſed gratum: illa autem actio prout terminatur ad gratum, non poteſt eſſe creatio, quia creatio eſt productio totius entitatis, quæ eſt in termino primario talis actionis: per illam autem actionem non ſit tota entitas compositi grati, ſed ſolum completur in eſſe grati: ergo neque illa actio: prout per illam comproducitur gratia, poteſt habere rationem creationis: hac enim de cauſa nulla forma pendens à ſubiecto in fieri, creatur, quia non per ſe primo ſit, ſed conſtitit per actionem qua producitur compositum abſque creatione. Quod tandem à contrario declaratur, quia quando talis forma deſinit, non annihilatur, quia ſolum condeſinit (vt ita dicam) ad deſinitionem compositi, quod nō annihilatur.

XII. Ex his ergo ſatis (vt opinor) conuincitur, non creari has qualitates ſupernaturales, dum ſunt dependentes à ſubiecto, etiam ſi ſit per potentiam receptiuam obediēcialem: & inde apertius concluditur, non poſſe dici conſecrari, per ſe loquendo, & ex vi talis actionis. Nam licet interdum hant ſimul cum creatione ſubiecti, & tunc conſecrari dicantur, tamen id eſt per accidens, & ſolum per intrinſecam denominationem, loquendo tamen per ſe, & ex vi propriæ actionis, per quam ſunt in ſubiecto, nō poſſunt conſecrari: quia tunc forma creari dicitur, quando per actionem, quæ ipſa comproducitur, creatur totū compositum, quod ex tali forma conſtat: ſed compositum, quod ex huiusmodi forma conſtat, nō creatur per illam actionem, quia non ſit abſolutè & ſimpliciter in quantum ens, ſed ſolum in quantum talē compositum: vnde non ſit ex nihilo, ſed ex præſuppoſito ſubiecto, ergo neque huiusmodi qualitates poſſunt dici conſecrari, niſi latè ſumatur nomen creationis pro quacunque effectione ſeu temporali productione. Si ergo hæc accidētia nec creantur, nec conſecrantur, reſtat vt educantur: nam (vt dixi) educio proximè opponitur creationi formæ, & adequatè contra illam diuiditur. Nec reſert, quod pro-

Hh 2 ductio

XI.

XII.

XII.

Accidētia ſupernaturalia non creantur, nec conſecrantur.

XX.

Augustini
dictum ex
penitur.

IX.

ductio harum qualitarum vocatur infusio, solum enim ita vocata est ad significandum provenire ab extrinseca & superiori causa, & non acquiri per intrinsecam virtutem & actionem, sicut solent acquisiti habitus comparari. Non fit autem illa infusio sine dependentia à subiecto in fieri & in esse: neque enim cogitanda est, sicut infusio aquæ in vas, sed sicut infusio luminis in aerem: & ideo talis infusio non est extra latitudinem educationis. Atque ita satisfactum est motui contrariæ sententiæ, & explicatus modus loquendi Theologorum. Nec est inconueniens concedere gratiam contineri in potentia obedientialia animæ, nam contineri in obedientiali potentia, nihil aliud est, quam quod Augustinus dixit: *Possesse habere fidem naturæ est hominum*. Et ideo optime etiam dicitur gratia ex potentia obedientiali animæ educi, quia non est nata per se fieri, sed dependenter ab anima, vel alia natura habente similem capacitatem.

Corollaria e superiori doctrina.

XIII.

EX dictis intelligitur primò, formam accidentalem supernaturaliter factam in subiecto, quoad modum tantum, & non quoad terminum, multò magis fieri per educationem, & non per creationem. Exempla sunt de potentia visiva, quæ cæco diuinitus restituitur, & de sanitate, quæ miraculosè fit absque ordine vel dispositione naturalium causarum. In his enim licet modus agendi sit supernaturalis, tamen forma, quæ fit, naturalis est: & in subiecto recipitur secundum potentiam, & capacitatem naturalem, & ab illo pendet in esse, & in fieri, etiam prout tali modo fit: nam illa actio etiam si quoad alia sit miraculosa: quoad dependentiam verò à subiecto fit modo connaturali, & ideo vera est educio. Vnde hoc extendi potest ad educationem formæ substantialis, quando ex parte agentis contingit fieri miraculoso modo per subitam & extraordinariam transformationem, vt cum Christus conuertit aquam in vinum: nam ille modus miraculosus non excludit veram rationem educationis propter causam dictam. Idem esset de actione, qua Deus excitaret, & viuificaret cadaver equi, aut leonis, nam illa actio etià fieret per educationem, vt eadem ratio probat.

XIV.

Secundo colligitur ex dictis, omnem propriam formam accidentalem, si per propriam actionem fiat, & modo connaturali quoad terminum, educi semper de potentia subiecti. Hoc patet ex dictis. Primò inductione, quia tam supernaturalis quam naturalis forma ita fit: ergo qualibet. Secundo ratione, quia omnis forma accidentalis natura sua pendet in fieri & in esse à subiecto, vt à materiali causa: & hoc tantum requiritur ad educationem, vt ostensum est. Et ideo dixi, si connaturali modo fiat quoad terminum: nam si Deus produceret accidens extra omne subiectum (æque enim id potest facere, sicut conseruare illud) tale accidens non fieret per educationem, sed per creationem: fieret enim ad modum rei subsistentis, sine dependentia à materiali causa, atque ita ex nihilo; tamen ille modus productionis non potest esse connaturalis formæ accidentali: sicut non potest illi esse connaturale, esse extra subiectum.

XV.

Dixi etiam, si per propriam actionem fiat, vt excluderem formas accidentales, quæ concreantur, vel congenerantur cum suis subiectis, de quibus, vel quoad rem ipsam, vel saltem quoad modum loquendi, peculiaris est ratio. Duobus enim modis contingit accidentalem formam produci per subiecti productionem. Primus est per solam concomitantiam in duratione, tamen per propriam actionem omnino diuersam ab actione, qua producit subiectum, absque naturali resultantia vnius ab alia, quo modo dicitur concreata gratia angelis, vel lumen aeri si in eodem instante, in quo creatur, illuminetur, & tunc actio productiua formæ accidentalis quoad rem i-

psam vera est educio omnino eiusdem rationis est illa, quæ fit posterius tempore, vt à fortiori constat ex dictis, suprà de educatione formæ substantialis. Quoad modum autem loquendi accipit aliam denominationem extrinsecam, propter concomitantiam actionum, vt declaratum est. Secundus modus productionis formæ accidentalis subiecto est propter naturalem resultantiam, qualis est inter proprietatem intrinsecam & substantialem formam seu essentiam: Et tunc proprius dicitur forma accidentalis produci ad productionem sui subiecti: sicut autem illa comproductio non fit sine aliquali actiuitate essentia in proprietatem suam, ita non fit sine aliquali educatione eiusdem proprietatis à potentia subiecti in quo recipitur, quia illa actiuitas præcise considerata vt condistincta à productione ipsius substantiæ, essentialiter pendet à subiecto in genere causæ materialis. At vero sicut illa actiuitas non censetur propria & per se actio, quia natura sua consequitur & resultat à termino alterius actionis, & hic est modus proprius & connaturalis talis actiuitatis: ita illa non censetur propria educio, quia per educationem absolute dictam intelligimus actionem, quæ per se primò tendit ad agendum aliquid ex præsupposito subiecto, quæ etiam differentia magis ad modum loquendi, quam ad rem spectat, vt apertius constabit ex infra dicendis de causa efficiente.

Tercio colligitur ex dictis omnem modum accidentalem siue naturalem siue supernaturalem, sicut participat rationem formæ, ita fieri per educationem, maxime si per propriam actionem fiat. Hoc patet in genere loquendo, quia talis modus essentialiter pendet in fieri & in esse à subiecto, adeo vt nec per potentiam Dei absolutam possit extra subiectum fieri, in quo excedit accidentalem entitatem, vt supra ostensum est, quo fit vt nunquam possit fieri per propriam creationem: quare si per se fit, per modum educationis fieri necesse est. Et hoc maxime patet in prædicamento vbi quod consistit in modo quodam accidentali, & ad illud est per se motus localis, vt constat ex communi doctrina in 1. Physicorum: illa autem motio cum ab agente naturali fiat, per modum educationis fit, nam ex præsupposito subiecto, & cum intrinseca dependentia ab illo efficitur. Diximus autem supra hos modos imperfectè participare rationem formæ, & ideo imperfecte etiam participare rationem educationis, non quidem ex parte dependentiæ materiæ, quæ potius est maxima, sed ex parte rei educi, quæ est imperfecta forma. Ex quo licet colligere illos modos, qui non induunt propriam rationem formarum, non nisi improprie dici posse educi, vt verbi gratia, motus localis non tam proprie dicitur educi de potentia subiecti sicut terminus eius, quia motus non est propria forma subiecti sed via ad formam. Et ideo non proprie educitur, sed est ipsa educio. At verò sicut actio non proprie fit, ita neque educio educitur, nisi lato modo loquendo dicatur se ipsa educi, sicut actio dicitur se ipsa fieri. Atque idem fere iudicium est de modis accidentalibus, qui non per se fiunt, sed resultant positè a aliis: quales sunt relationes resultantés positè a fundamento & termino, si supponamus huiusmodi relationes esse modos ex natura rei distinctos à suo fundamento, nam eo modo quo fiunt, dependent à subiecto fiunt, atque ita educuntur de potentia eius: tamen quia non per propriam actionem fiunt, sed solum resultant, ideo non est illa proprie educio, sed proprio nomine appellatur resultantia,

Expeditur dubium de formis artificialibus.

Denique hinc expeditur frequens dubium de formis artificialibus, an educantur de potentia sub-

cia subiecti. Quidam enim absolute negat, quia subiectum harum formarum, non est in potentia naturali ad illas, sed obedientiali respectu artis humanæ. Hæc tamen ratio parum obstat, quia iam ostensum est verè educi formam de potentia obedientiali. Secundo, quia illa potentia obedientialis non est extra latitudinem potentie naturalis, id est, quæ ab agente ordinis naturalis reduci potest in actum, siue talis actus sit naturaliter debitus tali potentie, siue nō. Vnde quando homo efficit talem formam, re vera efficit illam per virtutem motiuam naturalem, quamuis eam moueat per voluntatem, & dirigat per artē. Quare interdum contingit similem formam vel figuram ab agente naturali fieri casu seu ex concursu plurium causarum. Tertio, quia aliis in motu lapidis sursum proiecti ab homine, ubi ad quod terminatur, non educeretur de potentia subiecti, quia etiam lapis dici potest esse tantum in potentia obedientiali respectu talis motus: imo quodammodo est minor illa potentia quia motus ille violentus est: consequens autem est falsum, quia frigiditas aquæ, etiam si sit violenta, fit per educationem: quamuis enim repugnet formæ, ex parte materię est naturalis capacitas, sic autem est in lapide respectu motus sursum. Quod autem ille motus imprimatur ab agente libero vel naturali, nil refert ad educationem.

Quapropter alii absolute docent formas artificiales educi de potentia subiecti propter rationes dictas. Ego verò cenſeo idem esse iudicium de his formis, quod de aliis modis, qui per reſultantiam fiunt: nam hæc formæ artificiales solum sunt modi quidam accidentales vt supra dictum est, & ad illas non est per se actio Physica: quamuis enim intentio artificis ad illas perſeſtendat, & ideo tali modo dirigat per artem actionem suam, vt formam intentam inducat, tamen actio ipsa per quam exequitur intentionem suam, nō terminatur per se & immediate ad talem formam, sed ad aliquem alium modum, ex quo talis forma reſultat. Semper enim hæc formæ fiunt per motionē localem, quæ proxime terminatur ad vbi, & inde reſultant variæ figuræ artefactorum, vel per incisionē & diuisionem partium, vel per compositionem, & ordinatum situm earum, & ideo in effectione harum formarum non est propria educio, sed qualis in naturali reſultantia esse potest. Hinc verò colligo, hoc non esse proprium harum formarum, eo quod per artem fiant, sed commune est omnibus figuris, etiam si per actionem mere naturalem efficiantur: semper enim fiunt per solam reſultantiam, vel ad productionem, vel ad rarefactionem, densationem, aut situationem quantitatis.

DISPUTATIO XVII.

De causa efficiens in communi.

POST considerationem materialis & formalis causæ, quæ intrinsecè sunt, dicendum sequitur de causis extrinsecis, quæ sunt finalis & efficiens: inter quas licet finalis censeatur prior & nobilior: tamen efficiens causalitas est nobis notior, & ideo de illa dicendum prius est. Non est autem necessarium quærere, an hæc causa sit, tum quia hoc satis probatum est supra, tractando de numero causarum, tum etiam, quia nihil est euidentius & notius experientia: nam transmutationes & generationes quas experimur, fieri non possunt nisi ab aliquo efficiente, quod sit causa & transmutationis, & effectus: nihil enim potest se ipsum de non esse ad esse transferre. Supposito igitur in rerum natura hoc genere causæ, videndum est quid sit, & in quo consistat causalitas eius, & quid requiratur, vt causare valeat. Quia vero in hoc genere multæ sunt causarum species ac

Frans. Suar. Metaph. Tom. I.

modi, ideo prius in communi declarabimus, quid sit hæc causa, & quot membra sub se contineat: quidque omnibus illis commune sit. Postea verò de singulis causarum efficientium speciebus, & variis earum cauſandi modis figillatim differemus, quantum pro huius materię complemento expedire censebimus.

SECTIO I.

Quid causa efficiens sit.

ARISTOTELIS 5. Metaph. cap. 2. & 2. Physicor. cap. 3. causam efficientem in communi definit, dicens esse id, vnde primum principium est mutationis aut quietis. Quæ definitio multa interpretatione & additione indiget, vt ad verum sensum reducat, ita vt omnem causam efficientem comprehendat, & eius propriam causalitatem declaret. Nam in primis nihil in ea esse videtur, quod loco generis constituatur, nam illa particula vnde, quam solum Aristoteles ponit, & improprie ponitur loco generis, & valde æquiuoca est: nam & tempus, & locus dici potest esse id, vnde incipit motus. Quare subintelligendum videtur loco generis, Principium per se, ne autem videatur committi nugatio, dicendo causam efficientem esse principium per se, vnde est primum principium motus: dicendum erit, causam efficientem esse principium per se, à quo primo est, aut sit mutatio: atque ita fit, vt descriptio Aristotelis virtute contineat hoc genus, per quod potest causa efficiens definiri.

Sed tunc oritur secunda difficultas, quia definitio sic exposita etiam conuenit aliis causis, nam materia in suo genere est principium per se mutationis & quietis. Nec satis est, si dicatur excludi per illam particulam primo, quia licet per illam particulam possit excludi causa formalis (nam reuera illa non est primum principium mutationis, sed potius est terminus eius, propter quod dicebamus in superioribus formam, nō esse proprie causam generationis sed rei genitæ) tamen causa materialis non excluditur per illam particulam, quia in suo genere æque primo concurret ad mutationem cum causa efficienti, & ideo etiam illa est principium per se, vnde primo incipit mutatio. Dicit fortasse aliquis, quamuis respectu alicuius effectiōis materia simul causet mutationem cum efficiente, tamen absolute comparando causam materialem & efficientem, hanc esse priorem, quia oportet vt ipsa materia prius fiat, quam causet. Sed hoc nihil ad præsens refert, quia illa antecessio est remota, & respectu alterius actionis, cuius Aristoteles non meminit, nec satis constat, an illam cognouerit. Vnde est quasi per accidens respectu concursus materię & efficientis ad naturalem mutationem. Non ergo id satis est ad excludendam causalitatem materię, alias etiam causa secunda efficiens excluderetur, quia non est prima simpliciter respectu effectiōis, cum necesse sit illam prius effici. Duo ergo dici possunt: vnum est, quod licet secundum rem naturalis mutatio simul sit à causa efficienti, & materiali, tamen secundum rationem prior est influxus causæ efficientis, quam materialis. Vnde, secundum præcisas rationes formales loquendo, passio est ab actione, & non è conuerso, ideoque vera est ac propria hæc causalis locutio; quia agens agit, materia recipit. E contrario verò non proprie dicitur agens agere, quia materia recipit. Sic igitur dicitur efficiens esse primum in ratione cauſandi comparatione materię. Deinde dicitur, materiam excludi per illam particulam vnde. Nam in rigore significat habitudinem ad principium extrinsecum: materia enim est causa mutationis, quia illam in se intrinsece

I. Definitio Aristotelis ca.

Quod in eo genus.

II. Qualiter ad solum definitum adaptetur.

Hh 3

reci-